

demus, per hanc paginam vos sacerdotes temporibus illis in ipsis sanctis locis consistentes & officia illibata procurantes, per cœlestem regem coniuramus, cum collata sint (d) vnusquisque præcepta insequentibus diebus tribus annis missas pro nobis celebrent & sacrificia misericordissimo regi pro sarcina commissa peccaminum soluenda omnimodis offerant. Hoc vero testamentum Domino iudice ac teste, præcipue per hanc paginam omnibus, qui adestis, consentientibus, committimus dulcissimis filiis nostris, Sigeberto & Ludouico (e) regibus, quos

(d) cum collata sint ] *Aimoinus*: Cumque post depositam a nobis carnis sarcinam, vnusquisque præsulorum, qui locis præcepto inscriptis præfuerint, sibi assignata susceperint, rogamus & obtestamur, per terribile domini nostri Iesu Christi nomen, vt memoriam nostri tribus in hebdomada diebus, per sequentes annos faciant. Ac pro requie animæ nostræ, sacrificium offerant salutare: nomenque nostrum, quasi perpetuum tenentes memoriale, libro inserant vitæ.

(e) Sigeberto & Ludouico ] *sive potius Clodouao*, qui patri successerunt. *Alter Sigebertus in regnum Austrasiæ: alter Clodouaus in regnum Neustria, Fredegarius cap. LXXV & LXXVI vide supra cap. XXXII & XXXIII.*